

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De
Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 3. De infinitate & incomprehensibilitate Esse Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](#)

nominis diuitias, vt te reuerear, adorem, diligam, & seruiam; sicut Dominus supremi huius Esse meretur. O Anima mea, si solus Deus est. Quod est, amplectens omnem perfectiōnem eius quod est Esse: cur te non illi cōiungis, vt Esse tuum obtineat nobilitatem & firmitatem cum esse illius? cur te effundis ad creaturas, quae ipso Esse sunt vacuae: siquidem non possunt dare tibi, quod desideras, cūm ipsæ illud non habeant? Ex nunc, Deus æterne, quidquid creatum est, cōdetrimentum existi c Phil. 3. 8.
 mabo, & arbitabor ut stercore, vt vanitatem, vt nihilum; vt tibi coniungar, & te lucrificiam, vt te diligam, tibi seruiam in æternum,
 Amen.

MEDITATIO III.

DE INFINITE ET IN-
comprehensibilitate ipsius
Esse Dei.

VT tutus sit aditus ad cognitionem Magnalium ipsius Esse Dei, ne in illis submergatur, necesse est cognoscere, illud esse infinitum & incomprehensibile; & pertinere ad eiusdem magnitudinem, quod nullus alius, qui sit minor ipso, possit comprehendere quidquid ipse habet. Ad cuius rei intelligendam.

S. Thom. r.
 p. q. 7. a. 1.
 G. q. 12. a. 7

VI. Part. Med.

c

gentiam

II

gentiam est aduertendum, quod sicut sunt duo modi imaginem aliquam faciendi, alter pingendo, alter sculpendo; & primus modus fit, varijs coloribus appositis, & lineis super tabulam ducitis; secundus verè fit cœlo, ita ablatis ex tabula paruis particulis, donec figura celata maneat: Ita ait S. Dionysius, duplex est modus cognoscendi Deum, & efformandi in anima nostra verum & proprium conceptum, qui sit imago eius Divinitatis; alter est per affirmationes, collocando in ipso Deo excellētias & perfectiones, quæ sunt in creaturis, sed perfectiori & altiori quodā modo; ut si dicatur, Deus est bonus, est sapiens, potens, fortis; alter modus est, auferendo scilicet à Deo, quod est in creaturis terminatū & limitatum, eò quod dedebeat ipsius Dei magnitudinem: & ita dicimus, quod sit Deus infinitus, immensus, incomprehēsibilis, ineffabilis, &c. Et de hoc secundo modo Deum cognoscendi, instituetur hac Meditatio; quia plus nobis insinuat de infinita sua magnitudine; aperitq[ue] portam ad priorē modū, de quo erunt aliae Meditationes, qua sequentur.

PVNCTVM I.

PRIMÒ considerandum, quod Deus Dominus noster, non est res aliqua ex ijs, quæ percipi possunt quinque sensibus corporis; ac propterea nec album esse, nec rubrum, aut pellucidum, aut pulchrū, sicut sunt res, quas hic videmus. Non est sicut cœlum, sol, aut astra; nec est sicut ignis, aëris, aut aquæ; nec est sicut leo, aut aquila, aut corp' aliquod,

qua

De Mystic.
Theol. c. 3.
& de Dini.
nomin. c. 7.
& ibid. S.
Thom. lect.
4.

quia totum hoc, quidquid sensibus his percipiatur, est indignum præstantia & magnitudo-
ne Dei, qui sine termino & limite, excedit in-
finitè hæc omnia; ostque grauiis iniuria, Deum
his rebus, cum aliqua æqualitate comparare,
iuxta illud Isaïæ: a cui similem fecisti Deum, a Isaïæ 40.
& cui assimilasti & ad aquastis me, dicit Sæctus? 18.25.

O Sancte Sanctorum, conuertantur omnia os-
sa mea in linguis, & elata voce dicant, b Do-
mine quis similis tibi? Non est similis tibi inter
eos, qui vocantur Déi, neque eorum opera tuis
possunt adæquari. Non es formosus, sicut sunt
res terrenæ, sed alia pulchritudine es ornatus,
quam nec cœlestes Ángeli possunt comprehendere: Non es splendidus, sicut est lux hu-
ius solis visibilis, sed alius est splendor, &
c lux inaccessibilis quam inhabitas; Non es ma-
gnum magnitudine & quantitate molis, qua
competit corporibus, sed magnitudine virtutis,
qua omnes excedit spiritus: Non es dul-
cis aut iucundus, sicut sunt Musicæ, aut cibi
corporis, sed alia dulcedine & suavitate, qua
excedit capacitatem rerum omnium spiritua-
lium. O D E V S infinite, d quid potest esse
similis tibi? Ex hoc gaudeo, Domine, & animo
exulto, quod Esse tuum, ita sit illimitatum &
infinitum, ut quidquid spectabile creasti,
nullo modo possit cum eo comparari. O si te
amarem adeò perfecto amore, ut nullus
terrenus amor posset cum illo
conferri?

S.Thom.i.
P:q.4.a.3.

b Psal.34.

10. Ch.35.2:

c. Tim.6.

16.

d Psal.70.19

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum, quod Deus non sit res aliqua ex ijs omnibus, quas imaginatio aut intellectus hominis complecti & comprehendere possit, sed neque ipsi Angeli: nam quidquid illi possunt, finitum est & limitatum: ac propterea longe distat a sublimitate & Maiestate ipsius Essē Dei, quod est infinitum & illimitatum. Deus itaque nec bonus est nec sapiens, bonitate & sapientia, quam homines & Angeli possunt comprehendere: hęc enim breuis & pusilla est, distatque infinitè ab ea, quam habet Deus, qui talem habet bonitatis & sapientię modum, quem nec possimus complecti, nec proprium ei nomen imponere, quod illi omnino adaptetur: & ideo est incomprehensibilis & ineffabilis. Idemque de cęteris Diuinis perfectionibus dico. Quare stultum esset, Dei excellentiam cum alicuius hominis aut Angeli perfectione, cum æqualitate & perfecta similitudine velle conferre: potius cum Dauid dicendum: *quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Quasi diceret, nullus eorum, qui habitat super nubes, nec filiorum Dei, qui tales sunt per gratiam, aequali potest, aut comparari cum Deo, quia omnes infinitè distant ab eo, & ipse est super omnes.

Ex hoc ulterius ascendam ad considerandum, quod ad cognoscendam magnitudinem ipsius

Psal. 88. v. 7



ipius Esse Dei, hoc modo cognitionis, oportet, (vt ait Sanctus Dionysius ad Timotheum) *De Mysticis Theologis.*
 res omnes relinquere, quas sensibus nostris & exiguo etiam nostro intellectu percipi-
 mus; & reijsere imaginations, discursus,
 & limitatas intellectiones nostri intellectus;
 vt intelligamus; Deum ipsum nec Substan-
 tiam esse, nec spiritum, nec tale Esse, quale
 ego assequor, sed rem quandam excellentissimam, & excelsissimam, suprà omnem sub-
 stantiam, supra omnem Spiritum, & supra
 Esse: quam ego ignoro, & omnes ignora-
 mus; & mihi & omnibus creaturis, est instar
 nebulae, obscuritatis, & caliginis; iuxta id
 quod dicit scriptura, b quod Moyses accessit b *Exod. 29.*
ad caliginem, in qua erat Deus: Et alibi, quod 21.
 c ingressus Moyses in medium nebulae, ascendit c *Cap. 24.18.*
in montem: Et Dauid dicit: quod d *nubes &* d *Psal. 96.2.*
caligo sit in circuitu eius: Et Salomon: e *Domi-* e *3. Reg. 8.12.*
nus dixit, ut habitaret in nebula. Quod S. Apo-
 stolus amplius declaravit, dicens, quod flu f *1. Tim. 6.*
cem inhabitat in accessibilem, quem nullus homi- 16.
num vidit, sed nec videre potest, comprehen-
 dendo videlicet, quod ille in se habet. In hac
 adeò sapiente ignorantia, & in hac adeò cla-
 fa caligine, quamvis inaccessibili, curare de-
 beo inuenire requiem, altissime sentiens de
 Deo, & gaudens quod sit ipse infinitè maior
 & excelsior, quam ego cogitatione assequi
 possim; admirans potius & stupens, ad incom-
 parabilem adeò magnitudinem; supplens co-
 gnitionis huius defectum, excessu amoris, ex

g. 2. Cor. 13. 12.

Amor in-
trat ubi sci-
entia foris
stat.a Psal. 144.
2.
a Barnab.
3. 25.
NB. Locus.

blob. 36. 26.

toto corde cupiens, illum amare, & ei seruire,
& ad eius claram visionem suspirare. O Deus
inuisibilis, quando te video, non ḡ per specu-
lum & in enigmate, & obsecuritate, sed facie ad
faciem! O si te cognoscere, sicut à te cognitus
sum; ut sicut me amas, ita te amarem; sed quan-
doquidem cognitio & scientia adeo est bre-
uis, & tarda; amor erit, prolixior & proge-
dierit vltterius, ut amem sc̄i: cet te quantum
possim; donec te videam, sicut desidero.

PUNCTVM III.

TERTIÒ considerabo, quod esse Dei
ita est infinitum, vt omnes perfectio-
nes, quas diuina Scriptura de eo refert,
sint infinitæ; nec mens nostra fundum (vt dici-
tur) eorum inueniat; nec possit sibi finem aut
terminum earum imaginari: nam vt Prophe-
tæ dicunt: a magnus Dominus, & laudabilis ni-
mia, & magnitudinis eius non est finis. Et ita nec
duratio eius finem habet, nec eius locus, bo-
nitas, sapientia, aut potentia, quia in omnibus
est infinitus. Et postquam, quidquid potero,
fuerō imaginatus, adhuc est infinitè plus,
quam ego fuerim imaginatus: quare, post-
quam ego cogitauerō, Deum duraturum ali-
quot milliones annorum, totidem addere o-
portet, & mox totidem; & postquam tot ad-
didero quot sum imaginatus, adhuc infiniti
restant. Quamobrem amicus quidam Job ex-
clamauit: b ecce Deus magnus, vincens scien-
tiam



tiam nostram : numerus annorum eius inestimabilis , & qui nec numerari possunt . Similiter Deus implet vniuersum hunc orbem , & implere potest millions orbium hoc maiorum : & postquam cogitauero quor potero mundos , erunt infinites plures , quos possit Deus sua immensitate implere . Et idem est de sapientia & omnipotentia , ut sentiam tam altè de singulis eius perfectionibus , ut certò credam , multo plus esse quod non intelligo , quamquod intelligo : & in hac ipsa ignoratione conquiescam , gaudens ob plurima , quæ sunt in Esse & perfectionibus Dei , quæ ego non assequor .

Ex quo efficitur, quod Esse Dei, ore pleno
dici debeat esse incomprehensibile & ineffa-
bile, nisi ab ipsomet Deo, ita ut nulla prorsus
creatura complecti possit, quod in ipso est,
aut in ipsius bonitate, aut sapientia, aut in
quocunque attributorum & perfectionum
eius; nec possit proprium nomen illis accom-
modare, quod ex omni parte sit aptum. Et id-
eo dixit Ieromias: c *magnus consilium & incons-*
prehensibilis cogitatu. Ratio verò est euidens:
Nam omnis creatura est finita & limitata;
quod autem finitum est, non potest comprehendere id, quod est infinitum; sicut est impossibi-
le, quod ego pugno meo totū orbem com-
plectar, aut quod paruum aliquod vas capiat
totam aquam Oceani: & si, ut dicit Sapiens: d
difficile estimamus quae in terra sunt; & quae in
prospectu sunt, inuenimus cū labore; quae in calis

c Jerem. 32,
19.

d Sap. 9. 16.

sunt, quis inuestigabit? Ita ergo fateri debo, & gaudere, & gloriari, me habere Deum ad eum magnum, ut nullus possit illum comprehendere: si enim comprehendi posset, valde esset breuis & parvus; aut, ut verius dicam, Deus non esset.

AD hoc autem accipiam exemplum supremorum Angelorum, qui sunt Seraphini, qui habent e sex alas, ad significandum se volare in cognitione Dei, & rerum, quas sex primis mundi diebus condidit; volantque altius ceteris Angelis; & nihilominus, quando dicuntur esse in conspectu Dei, ex sex alis, quatuor complicant; duabus velantes faciem Dei, ut significant, se non posse comprehendere Diuinitatis eius altitudines; & duabus velant pedes eius, ad significandum, se non posse comprehendere omnia opera, quae à Diuinitate procedunt: duabus ergo tantum volant, ut confiteantur aliqua Dei magnalia, quae nouerunt. Multò autem amplius Deum magnificat contractione quatuor alarum, quam duarum volatu, & verbis quae proferunt. confitentur enim plura in infinitum esse, quae de Deo ne sciant, quam quae sciant. O DEVS incomprehensibilis & ineffabilis, gaudeo quod Seraphini ipsi, in tuo conspectu, tanquam cæci & obscurati sint; fatentes quod vincas omnem scientiam illorum, nec possint ipsi te comprehendere. Utinam sex illas Seraphinorum alas haberem, quas omnes in amoris alas conuerterem; ut vires omnes meas faltem intenderem

c Isai. 6. 2.

"

f Ioan. 36.

20.



rem in te diligendo, siquidem ad comprehendendum non sufficio.

PUNCTVM IV.

QUARTO, tanquam fundamentum nostrum fidei, perpendendum est summum Dei beneficium erga nos, in reuelandis nobis secretissimis infiniti sui esse mysterijs, & perfectionibus. Videns enim, impossibile esse hominibus, aut etiam Angelis, omnia illa assequi, imò aliqua illorum nec indagare quidem posse ex iis, quæ in creaturis cernerent; voluit ex infinita sua bonitate & misericordia, aliqua nobis reuelare, & ad ipsius gloriā, & nostrum bonum: in quibus sunt multa ad eō sublimia, ut nec eo peruenire possimus, vt, quomodo illa sint, intelligamus; quia exceedunt capacitatem nostram, & omnem rationem & naturæ lumen: quod ipsum ad summum gaudium excitare me debet, attenden tem, quod habeam Deum adeō excelsum & infinitum, vt eius Esse & opera, quæ ab eo proveniunt, superent quidquid homines & Angeli, aut assequi, aut etiam indagare possint. DEBEO præterea tres alios excellentes affectus & proposita, ex eodem fundamento concipere.

PRIMVS affectus est gratitudinis erga Deum nostrum, quod in sacris scripturis, & per suos Prophetas, nobis reuelauerit sancta sua diuinitatis, & vt dixit David, *a incerta & occulta sapientie sua manifestarit. a Psal. 50. 8.*

C 5

Sed

L

Sed præcipue qui viuimus in lege gratia,
maiores illi gratias agere tenemur, quod
Filium suum vnigenitum nobis dederit; nam
b Ioan. 1.18. (vt ait Sanctus Ioannes) b *vnigenitus filius*, qui est in sinu Patris, tanquam omnium
maxime conscius, distinctius enarravit. Quare gratias illi agere debeo, ob reuelata nobis
mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis,
Eucharistie, Remissionis peccatorum,
Resurrectionis carnis, & vitæ æternæ; expri-
mendo hæc & similia alia mysteria, quæ
nisi ipso reuelante, cognosci non potui-
sent.

II.

c 2. Cor. 10.5.

SECUNDVS affectus debet esse fidei cer-
tissimæ & subiectissimæ, c captiuato scili-
cer intellectu: ad credendum quod ego non
assequo, solum propterea, quod Deus ita
reuelarit; cum alias fuisset impossibile, il-
lud cognoscere. Quare præcipue exerce-
da est fides circa mysteria magis eleuata, ma-
gisque secreta; oblectans me quod ea cre-
dam, & in ea fide viuam; secundum quam et-
iam dirigar. Et exemplo Seraphinorum fa-
tebor meam pusillitatem; simul verò, elata
voce magna que voluptate, laudabo DEVM
Trinum & Vnum, cum cæteris nominibus,
quæ ipse reuelauit; dicens, Sanctus, Sanctus,
Sanctus, similiter Sapiens, Sapiens Sapiens;
Potens, Potens, Potens est Dominus Deus ex-
ercituum; nec scrutari tentabo ultra id, quod
ipse mihi reuelauit; nam *curiosus d. Scrutatur*

27.

d Prover. 25

Mai.

DE INFINITATE DEI. 43

Maiestatis, (ut Sapiens ait) opprimetur à gloria.

Eccl.3.22,

TER T I V S affectus est magnæ fiducia, simul & magnæ cordis lætitiae: firmiter scilicet sperans, peruenturum me eò, vbi eadem mysteria clarè videam, quæ nunc fide credo; vt locum in me habeat quod dixit Apostolus, e videmus nunc per speculum in anigmate, tunc autem facie ad faciem: Propterea siquidem ea cum obscuritate mihi revelauit; vt viua fide credens, & fideliter eius mandatis obediens, eò peruenirem, vt distinctè & apertè ea viderem, Imò & hanc fiduciam habere debeo, quòd etiam in hac vita clarificabit ipsam fidem, dabitque magnam mysteriorum eius intelligentiam, si studero me disponere per cordis mundiam ad ea videnda, siquidem ipse dixit.

f Beati mundo corde, quoniam ipsi D E V M

f Mat.5.8.

videbunt. g O Deus spei repleas me om-

g Rom.15.13

ni gaudio & pace in credendo, vt a-
bundem in spe & virtute Spi-
ritus sancti, in æter-
num, Amen,
(∴)

M E D I -